



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XIII. De presbyteris alterius regionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

XI.

Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis sit probabilis vitæ, sed obseruet vsque ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Iesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & tunc prædicauit.

XII.

Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi forte postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

XIII.

Presbyteri qui conregionales sunt, in Ecclesia præsentibus Episcopis vel presbyteris ciuitatis, offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Quod si absentes sint ciuitatis sacerdotes, & fuerint inuitati ad dandam orationem, soli poterunt dare. Vicarii autem Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum; sed tamquam confacerdotes propter sollicitudinem & studium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

XIV.

Diaconi septem esse debent secundum regulam, quamuis magna sit ciuitas: cui regulæ auctoritas erit liber Actuum Apostolorum.